



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

Prætermissi Vel In Alios Dies Rejecti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## IX JANUARI.

## SANCTI QUI V ID. JANUAR. COLUNTUR.

- |   |   |  |   |
|---|---|--|---|
| S. Paschasia, Virgo Martyr, Divione in Burgundia. | } Martyres in Africa.                                   | S. Marciana, Virgo et Martyr, in Mauritania.     | } Martyres, Antiochiæ, vel Antinoi in Ægypto. |
| S. Epictetus,                                     |   | S. Julianus,                                     |   |
| S. Quinctus,                                      |   | S. Basilissa,                                    |   |
| S. Secundus,                                      |   | S. Celsus,                                       |   |
| S. Jucundus,                                      |   | S. Marcionilla,                                  |   |
| S. Saturninus,                                    |   | S. Antonius Presbyter,                           |   |
| S. Vitalis,                                       |   | S. Anastasius,                                   |   |
| S. Quinctus,                                      |   | Sancti vii, pueri, cognati                       |   |
| S. Vincentius,                                    |   | Carini Imperatoris,                              |   |
| S. Felicitas,                                     |   | Sancti xx Milites,                               |   |
| S. Quinctus,                                      |   | S. N. amicus Præsidis Marciani,                  |   |
| S. Felix,   |   | et alii plurimi Episcopi.                        |   |
| S. Artaxes,                                       |   | Clerici, Monachi, Virgines.                      |   |
| S. Fortunatus,                                    |   | S. Petrus, Episcopus Sebastenus in Armenia.      |   |
| S. Rusticus,                                      |   | S. Marcellinus, Episcopus Anconitanus in Italia. |   |
| S. Sillus,  | S. Waningus, Fiscani in Normannia.                      |  |   |
| S. Quietus,                                       | S. Filanus, Abbas in Scotia.                            |  |   |
| S. Pictus et alii v,                              | S. Adrianus, Abbas in Anglia.                           |  |   |
| S. Vitalis,                                       | S. Brithwaldus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia. |  |   |
| S. Revocatus,                                     | S. Eustratius Thaumaturgus in Bythynia.                 |  |   |
| S. Fortunatus,                                    |   |  |   |
| S. Firmus, vel Firminus,                          | } Martyres, Smyrnæ.                                     |  |   |
| S. Possessor,                                     |   |  |   |
| S. Januarius,                                     |   |  |   |
| S. Saturninus,                                    |   |  |   |

## PRÆTERMISSI VEL IN ALIOS DIES REJECTI.

- S. Timotheus Confessor. *Maurolyc. Martyrol. Germanic. Videtur is esse, de quo egimus VIII Januar.*
- S. Eugenianus, Martyr Augustodunensis. *Petrus de Natalibus lib. 11, cap. ultimo, nu. 29. De eo egimus VIII Januar.*
- S. Gudilæ Virginis natalis consignatur hoc die in *Kalendario Radulphi de Rivo. Egimus de ea VIII Jan.*
- S. Erardus, Episcopus Ratisponensis, *ms. Florar. de eo supra VIII Januar.*
- XL Martyres Cæsaraugustani. *Ferrar. citans tabulas Cæsaraugustanas. Quinam hi sint, nondum comperimus.*
- S. Martialis, *Martyrol. ms. S. Hieronymi. At Kalendaria aliquot, S. Martialis Virgo. Forte eadem qua S. Marciana.*
- S. Jacobus Presbyter Calari hoc die martyrio coronatus, *memoratur a Seraphino Squirro lib. 4 Sacrarum Calaritani cap. 21, ex inscriptione tumuli ejus 3 Octob. 1621, inventi. Sed quia utcumque nobis obscura videtur illa inscriptio, certiora monumenta expectabimus.*
- S. Egilfredus Abbas in Africa. *Ferrar. Menard. Dorganus, Galesin. ex veteri ms. nihil præterea profertur.*
- Ermengarius Episcopus Augustodunensis *ms. Florarium. Hujus apud Claudium Robertum nomen non extat; nisi sit Ermentarius qui tamen nec in Martyrologio Saussai refertur; nec a Joanne Chenu, nec a Claudio Roberto Sanctus appellatur.*
- Felicianus Abbas. *ms. Florar. Ignotus hic nobis.*
- Salomon penitens, in Claustro, sive Hemmenrode. *Chrysostomus Henriquez in Menol. Cisterc. ex Casario lib. 11, cap. 31, sed non videtur ut Beatus coli.*
- Philippus Berruierius, ex Episcopo Aurelianensi Bituricensis Archiepiscopus, a *Demochare et Joanne Chenu Sanctus appellatur, Beatus a Claudio Roberto et Carolo Saussaio, qui lib. 11 Annal. Eccles. Aurelian. ejus vitam describit. Sed quod Andreas Saussai, qui nuper Martyrologium Gallicanum edidit, solum piis illum adnumeret, eum hic omittimus.*
- Petrus, monachus cœnobii S. Mariæ de Caduno, in diœcesi Sarlatensi, in *Kalendario Cisterc. et in Menologio Chrysostomi Henriquez refertur hoc die, et Beatus appellatur. Recensetur et ab Hugone Menardo, in altera appendice ad Martyrol. Benedictinum, ex antiquo Missali ante 100 annos edito, inter Sanctos et Beatos ordinis Cisterciensis. Andreas Saussai solum Piis illum accenset.*
- Urraca fundatrix monasterii de Avia, Ord. Cisterc. in Hispania. *Idem Henriquez in Menol. Cisterc. Neque hac an colatur comperimus.*
- S. Egwinus, Episcopus Wigorniensis. *Ferrar. de eo agemus XI Januar.*
- S. Agretius Confessor. *Maurolyc. Martyrol. Germanic. ms. Florar. Martyrol. Colon. antiquum, et Carth. Colon. in Addit. ad Usuard. sed in quibusdam Agecius dicitur. Ignotus alibi, nisi sit S. Agritius Trevisensis, de quo XIII Januar.*
- Festum sanctissimi nominis JESU, ab Ecclesia Bruzelensi celebrari officio duplici consuevit Dominica intra octavas S. Gudilæ, ut patet ex veteri illius Ecclesiæ Breviario: a pluribus Ecclesiis agitur, ut infra dicemus xv Januar.
- S. Antonii magni reliquiarum translatio facta hoc die Arelate, e cœnobio Montis majoris ad ecclesiam. *S. Juliani Martyris: ut tradit Saussai in Martyrol. Gal. Nos infra XVII Januar.*
- S. Speusippus, }  
S. Eleusippus, } tergemini, }  
S. Meleusippus, }  
S. Leonilla avia, }  
S. Junilla, }  
S. Neon, exceptor, }  
S. Turbo, codicilli Auctorum custos, }  
S. Polyuctus, Martyr, Melitinæ in Armenia. *Meno- log.*



log. Menæa; Surius. Nos XIII Februar.  
S. Concordia Martyr Tuscanæ in Tuscia, ubi sacræ  
ejus reliquiæ asservantur. Ferrarius in generali  
Catalogo Sanctorum. Iterum XXII Februarii refertur  
a Beda, Rabano, Nothero, et aliis S. Concordia,  
Romæ in via Tiburtina trucidata; quam eandem ar-  
bitratur Galesinius, quæ in Actis S. Laurentii nutritrix  
S. Hippolyti dicitur. An et quomodo hæc tres Con-  
cordiæ differant non comperimus. Forte quid certius  
postea nanciscemur et dicemus, vel XXII Februarii,  
vel XIII Augusti.

S. Eulogii Presbyteri,  
S. Leocitiæ Virginis,

Martyrum, Translatio hoc  
die facta, atque a nonnullis  
Hispanicis Ecclesiis celebrari,  
traditur. Eam referemus, cum  
de eorum agemus martyrio;  
Eulogii quidem XI Martii.

Leocitiæ vero

XV Martii.

S. Simeonis Trevirensis Confessoris translatio, hoc  
die consignatur in Martyrologiis, Germanico, et Co-  
loniensi, ms. Florario, et Carthusian. Additionibus ad  
Usuardum. Contigit anno 1400. De ea agemus ad  
ipsius Sancti vitam

I Junii.

S. Henricus, Episcopus Wintoniensis in Anglia. Ga-  
lesin. Ferrar. Martyrol. Germanic. At Martyrol.  
Anglicanum, aliique auctores eum tradunt obiisse,  
quo de eo agemus

VI Augusti.

S. Foillanus, Abbas et Martyr. ms. Kalendar. ord.  
S. Benedicti. De eo nos

XXXI Octob.

S. Eucharius, Episcopus Trevirensis. ms. S. Martini  
Treviris. Nos

VIII Decembr.

S. Judoci Translatio. Martyrol. Anglic. Refertur et in  
quibusdam Belgicis mss. Kalendaris. De ea agemus  
in vita ejus

XIII Decembr.

## VITA S. PASCHASLÆ VIRG. MART.

### DIVIONE IN BURGUNDIA.

Ex antiquis recens collecta a Petro Francisco Chiffletio, Societatis Jesu Presbytero.

SUB M.  
AURELIO.  
IX JANUARI.

S. Paschasia  
in ignem  
conjecta.

Apparet ex-  
truentibus  
templum S.  
Benigni.

Auctor Chronici S. Benigni Divionensis, qui  
se et patria Salinensem, et in Benigniano  
monasterio monachum fuisse significat, suum-  
que opus conclusit in anno a Christi Incar-  
natione secundo et quinquagesimo supra millesimum  
(quo anno Halynardum ex Abbate S. Benigni Lugdu-  
nensem Archiepiscopum Romæ extinctum refert)  
de S. Paschasia in Willelmo Abbate sic pronuntiat:  
Hæc a S. Benigno edocta, et baptizata, post ejus  
martyrium sævitia paganorum rapta est ad suppli-  
cium: cumque immobilis in fide Christi persisteret,  
primo carceris afflicta squalore, postea pro con-  
fessione Deitatis, sententia fuit multata capitali; ut  
quædam vitrea antiquitus facta, et usque ad nostra  
perdurans tempora, eleganti demonstrabat pictura.  
Passa est igitur eodem, quo et Benignus, Aurelio  
imperante. Supplicii genus, et sepulture locum de-  
clarat idem auctor, haud longe ab initio sui Chronici,  
cum ait: In hujus sepulture ultimis finibus, ad Occi-  
dentem, corpus S. Benigni post martyrium positum  
fuit a B. Leonilla; ædificata super eum humili opere  
crypta, prout permisit temporis angustia. Juxta il-  
lam cryptam jacuit S. Paschasia, et ipsa per ignem  
martyrio consummata. Cujus ergo animus illo igne  
Spiritus sancti arserat, quem venit Dominus Jesus  
mittere in terram, et voluit vehementer accendi, ejus  
quoque corpus (ne quid ad holocaustum deesset) ele-  
mentaribus flammis absumptum est.

2 Cum autem B. Gregorius Lingonensis Episco-  
pus, sexto post Christum labente sæculo, super S. Be-  
nigni corpus, sibi divinitus revelatum, sacram ædem  
excitaret, visa est Paschasia opus urgere, ac structo-  
ribus ad perficiendum animos addere; ut grata Virgo  
illius se cultum in terris curare ostenderet, a quo se  
in Christo genitam, adeoque in cælum deductam  
meminerat. Rem gestam narrat S. Gregorius Turo-  
nensis, lib. de gloria Confessorum, cap. 43. Est haud  
procul et alia basilica, inquit, in qua Paschasia san-  
cta quiescit. Hæc fertur apparuisse structoribus basi-  
licæ S. Benigni Martyris, qui secus habetur, hortans  
ut opus cœptum insisterent, scirentque, se Martyris  
adjutorio adjuvari: quæ in basilicam suam regressa,  
nusquam comparuit. Et pluribus libro de gloria Mar-  
tyrum cap. 31. In proximo autem est et alia basilica,  
in qua Paschasia quædam religiosa veneratur. Nam  
visum est eo tempore structoribus, quamdam anum  
egressam fuisse ab ipsa basilica, nigra veste, cygneo

capite, vultuque decoro, quæ sic affata est structores:  
Eia, dilectissimi, perficite opus bonum: eleventur  
machinæ, quibus erigatur hæc structura. Et merito  
acceleratur, quæ talem habet executorem: nam si  
permitteretur, ut vestrorum oculorum acies contem-  
plaretur, nempe videretis vobis operantibus Sanctum  
præire Benignum. Hæc effata, basilicam, de qua  
egressa fuerat, ingrediens, nulli ultra comparuit. Au-  
tumabant enim ejus temporis homines, Beatam ibi  
apparuisse Paschasiam.

3 Quo deinceps loco fuerit Paschasia, quove in  
honore apud Divionenses, docet scriptor Benigniani  
Chronici supra laudatus; cum enim anno Verbi In-  
carnati primo et millesimo, Indictione XIV, Willel-  
mus Abbas S. Benigni, et generis splendore, et mo-  
rum integritate conspicuus, S. Benigno Martyri, novo  
opere basilicam, columnis marmoreis insignem ex-  
struxisset, e quinque in ea fundatis altaribus tertium  
B. Paschasie nomine dedicatum est. Quinque sane,  
inquit, in ea continentur altaria; primum in honore  
ipsius S. Benigni est consecratum: secundum in  
memoria S. Nicolai, et omnium Confessorum: tertium  
in veneratione S. Paschasie Virginis, quæ ibi-  
dem quiescit, et omnium Virginum: quartum in  
S. Irenei, et omnium Martyrum: quintum sub nomi-  
nibus sanctorum Confessorum et Abbatum, Joannis,  
et Sequani, atque Sancti Eustadii Presbyteri ibidem  
quiescentis. Hæc erant inferioris tantum cryptæ al-  
taria; alia enim quamplurima reliquæ templi partes  
capiebant.

4 Id ædificium vetustas denique abolevit, sed non  
Paschasie generosæ Virginis memoriam: nam quæ  
hodie stat Divi Benigni ædes, anno Christi MCLXXXVII,  
ab Hugone, cognomento de Arcu, ejusdem monaste-  
rii Abbate exædificata est: vigetque etiamnum in ea  
S. Paschasie cultus, adscriptus in antiquis S. Be-  
nigni Kalendaris ad nonam diem Januarii. Et Divio-  
nensium religionem aliæ quoque Ecclesiæ imitatae  
sunt. In Martyrologio manuscripto Franciscanorum  
Salinensium sic habetur: v. Id. Januarii, S. Pascha-  
sæ Virginis, cujus venerabile corpus quiescit Di-  
vione, in ecclesia S. Benigni. Id ipsum notatur postri-  
die, nempe IV Id. Januarii, in Martyrologio monasterii  
Golliani Canonicorum regularium S. Augustini prope  
Salinas. Sed in dubio, standum potius reor a dome-  
sticis Benignianorum commentariis.

5 Hæc Chiffletius Noster. Meminerunt S. Paschasie

Altare ei  
erectum.

Nomen in  
fastis sacris.